

**Dissertationem solennem de catarrho suffocativo ... / p.p. F.J. Bruno.**

**Contributors**

Bruno, F. J. active 1683-1690.  
Universität Altdorf.

**Publication/Creation**

[Altdorffii] : Typis Henrici Meyeri, [1690]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dnfw6bm>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

B. C. D.  
DISSERTATIONEM SOLENNEM  
*De*  
**CATARRHOS VUFFO-**  
**CATIVO,**  
ex Decreto  
**GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS**  
in hac Alma ALTDORFINA,  
**PRO LICENTIA**  
Summos in MEDICA FACVLTATE Honores  
& Privilegia Doctoralia rite conseqvendi,  
*P. P.*  
**FRIDERICVS JACOBVS BRVNO,**  
Altdorfino - Noricus.


*Ad d. 26. Junii, ANNI M DC XC.*

---

Typis HENRICI MEYERI, Vniv. Typographi.

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30768044>



*De*  
**CATARRHO SVFFO-**  
**CATIVO**  
**DISSERTATIO.**

*I.*

Uemadmodum Actiones corporis anima-  
lis usu ac præstantia multum inter se dif-  
ferre, atq; alias absolute necessarias pari-  
que passu cum vita ambulare; alias vero  
ad hujus integratatem & continuatio-  
nem certo tantum respectu conferre ob-  
servamis: ita quoq; morbos illos, quibus prioris generis  
actions graviter læduntur, maximamq; partem abolen-  
tur, cñnum longe periculosissimos esse, facile judicare  
licet. Nec opus est arbitror multis exemplis, quippe non  
nisi i arte Medica plane hospitem latere potest, quod  
aëtates organorum in infimo ventre elaborationi liquo-  
ris patritii vel recrementorum separationi aut excretioni  
inservientes etiamsi vehementer læsæ non statim præsen-  
tissimum vitæ discrimen inferant, sed quandoque per sat  
logum temporis spatium ægris molestiam pariant. Si-  
nilitaque vero functionum animalium princeps motoris  
animalis impulsus in cerebro aut principio nervorum ex  
cunctaque demum causa inhibetur, sicque via ad partes  
idem intercluditur, æger subito, ceu fulmine taetus, con-  
dit, quin haud raro, si nullus remedio locus est, vitam  
rius cum morte commutat, quam quidem istius prodro-

mum sentit morbum. Simile penefatum etiam imminere videmus, quando continua & dormientibus æque a vigilantibus necessaria Inspirationis atq; Expirationis reciprocatio præternaturali ratione sufflaminatur, sicut in Angina, Empyemate, Orthopnœa, Asthmate convulsivo cum primis autem *Catarrho Suffocativo* correptis apparet quibus sane mortem in faucibus hærere, quin & interdum presso pede sequi, repentina horum strages satis superque testatur. Cujus luftuosum non minus ac luculentum exemplum haud ita pridem nobis dedit inopinatus obitus Fortissimi Herois, Serenissimi Ducis Lotharingiæ &c. &c. quem etsi per bene multos annos nulla horrendi Martis fulmina prosternere valuerunt, Catarrhus tamen Suffocatus atrociter invasit, prostravit, & paucarum horarum spatio proh dolor! exanimavit.

## II.

De repentino hoc casu ac memorabili post aquam proximis superioribus diebus ad manus nostras pevenisset Relatio Medica typis excusa, atque inter alia hujus contenta curationem morbi frustra tentatam multum ogitaremus, incessit animum cupido sepositis aliis arguentis, quibus post peracta feliciter examina privata publicum studiorum specimen daturi manum admoveramus, in Catarrhi Suffocativi atrociam & curationem, exquisitus paulo, quantum quidem per lubricam corporis vitudinem ingeniiq; tenuitatem licuerit inquirendi, atque cogitata hac de re qualiacunque nostra loco solennis Dissertationis publico eruditorum examini subjiciendi. Hoc ipsum vero negotium aggressuri primum nonnulla remebimus, quæ forte latius, quam par est, evagandi occasionem præbere possent; tum demum Catarrhum Suffocatum exutiemus I. Pathologice, h. e. Historia mortis succinè enarrata generationem ejus atque causas scrutabimus.

bimur, e quibus singula morbi phænomena promte ac perspicue deducere liceat. II. Therapeutice, talem ex Methodo Medendi curationem adhibituri, qualem affectus nostri causæ indicare ac flagitare queunt.

## III.

Inter removenda primum occurrit ambiguitas e diversa vocis Catarrhi acceptione resultans. Hippocrati quidem omnis humorum ex capite ad quascunque partes defluxio Catarrhus audit; sed lato huic significatui latiorem adhuc substituentes recentiorum nonnulli omnem humorum ex quacunq; ad quamcunq; corporis partem decubatum p. n. Catarrhi nomine insigniunt, vid. *B. Ettmüller. Colleg. Pract. Part. II. c. 5. Oper. in fol. p. 391. & Dolens in Encyclopæd. Med. I. I. c. 14. p. 209.* Atque sic non Rheumatismos solum & Inflammationes, sed Hydropses quoq; aliasve humorales morbos ad Catarrhorum classem revocare liceret. Verum relicta hac latissima strictam magis & usitatam sequemur Catarrhi significationem tres potissimum species complectentem: Coryzam nempe nares, Branchum fauces, ac deniq; Catarrhum stricte & simpliciter sic dictum pulmonem & pectus infestantes: Atq; hanc ultimam speciem, si celeri gradu eo usq; ingravescit, ut suffocationis periculum minitetur, *Catarrbum Suffocativum* appellamus.

## IV.

Eo ipso autem, quo Catarrhus hic discriminis ergo Suffocatus denominatur, alterum se nobis offert removendum. Etenim, cum præter Catarrhum aliæ quoque variis generis causæ suffocationem inferre queant, ( quas pleriq; quidem Medicorum minus solicite a se invicem distinguunt ) neque vero instituti ratio admittat in singulas Suffocationis causas earundemq; per genuina auxilia remotionem inquirere: hinc e præsente Dissertatione exulare volumus illas affectus Suffocativi species, qua-

rum origo externis rebus debetur: quatenus nimirum aliquid vel per glottidem in tracheam illabitur, uti nonnunquam inter ridendum aut loquendum deglumentibus accidit; (quo etiam referri possunt aquis submersi, fumo item carbonum, aut vapore vini mustei vel cerevisiae fermentantis in cellis copiosius collecto suffocati, in quibus apparenter licet mortuis vitalitatem per longum quandoque temporis intervallum delitescere posse, ex eorum reductione ad vitam & sanitatem frequenter observata liquet;) vel foras organis pneumaticis quidpiam incumbit, v.g. tumores, struma abscondita circa jugulum, bolus nimiæ magnitudinis assumptus ac gulæ impactus, vel excrescentia quædam p.n. asperam arteriam aut pulmonem obstruens; quatenus item ab alio quodam morbo, v.g. angina, vulnera, ulcere &c. sive etiam organi cujusdam pneumatici mala conformatio dependent: Atque ita in ea duntaxat suffocatione mentem defigemus, quæ ex læsione & statu p.n. fluidarum corporis animati partium in organis pneumaticis resultat, jam supra Catarrhi Suffocativi nomine indigitata.

V.

Tali autem morbo correptos dicimus, quos respirandi difficultas subito infestat, ita ut non nisi erexta cervice respirare queant; adeo simul deglutiendi impotentia, vix ullum quandoq; alimentis vel medicaminibus interne assumendis locum relinquens: Loquela etiam malo crescente magis magisq; intercipitur: Tussis aut exscreandi conatus haud semper observatur: Nulla æger affilitur febre, aut duntaxat symptomatica: Pulsus pro affectus atrocia magis vel minus debilis & inæqualis: Excernenda plerumque plus solito retinentur: Urina colore & contentis multum variat: motibus voluntariis mentisq; actionibus sua quadantenus constat adhuc integritas: urget vero quam maxime præcordiorum anxietas & pectoris stertor sive sonitus,

nitus, placidam quietem ac somnum non concedentes & hinc ægrum præcipiti gradu ad incitas redigentes. Quod si plures interdum ab ægrotis aut adstantibus proferuntur querimoniæ, proculdubio cum Catarrho absq; Suffocationis periculo laborantibus communes erunt; v.g. quando capit is aut alterius quoq; mem bri gravitatem sive languorem persentiscunt, aut de dolore quodam interno vel externo in hac vel illa parte oborto conqueruntur; quemadmodum & Heroem antea laudatum de dolore auris & defluxionibus delabentibus conquestum fuisse e dicta Relatione constat.

## VII.

Ex recensitis breviter symptomatibus ceu lineamentis ipsissima non solum morbi hujus facies, verum etiam quantum ab aliis morbis cognitionem quandam cum ipso habentibus diffideat, instituta rite phænomenorum comparatione haud difficulter cognosci potest. Ita ab Angina, Pleuritide, Peripneumonia, Empyemate aliisve cum inflammatione coniunctis morbis dictus affectus discrepat, quod nulla febris acuta, nulla inflammatio eidem comitantur. Ab Asthmate, qua vero sive humido alias dicto, qua spurio sive convulsivo & sicco, (suffocativum quoque alii vocant) qua flatulento differt, quod in illo quidem respiratio difficilis & anhelosa, nequaquam tamen extremum suffocationis periculum, urgentissimum affectus nostri symptoma, observetur. Asthma vero convulsivum dum molesto ægrotis constrictionis, tensionis vel oppressionis cujusdam circa fauces, pectus vel diaphragmatis regionem sensu, imo plerumq; corporis membrorumq; externorum spasmodica jaestatione se velut sorex prodit, sat manifestum exhibet indicium, quo a Catarrho suffocativo nihil tale coniunctum habente discriminari potest. Nec minus Asthma flatulentum ab isto dignoscitur per intumescientiam inferioris ventris, tanquam genui-

næ flatuum sedis , ut plurimum ibi occurrentem, uti hoc  
 testantur variæ observationes , v. g. *Ephem. N. C. Dec. I.*  
*Ann. IV. & V. Obs. II. & Dec. II. A. VI. Obs. 96.* Et quamvis  
 cum Orthopnœa Asthmatis species gravissima vulgo ha-  
 bita prorsus convenire videatur Catarrhus suffocativus,  
 ut propterea eum nonnulli Practicorum sub titulo  
 Asthmatis & Orthopnœæ exposuerint ; quando tamen  
 symptoma hoc, quo ægris non nisi erecta cervice spiritum  
 ducerelicet, decumbentibus autem suffocationis immi-  
 net periculum , inflammatoriis organorum pneumatico-  
 rum morbis paulo ante adductis , præsertim vero Peri-  
 pnevmonia laborantibus est commune ; Catarrho contra  
 suffocativo afflitti a tali febre acuta immunes observantur,  
 discriminis ratio mox elucescit. Neque Incubus cum di-  
 &to Catarrho facile confundetur , modo variæ temporis,  
 modi ac eventus circumstantiæ probe attendantur ; et  
 enim licet Incubus interceptionem respirationis & vocis  
 inferat , vix tamen ultra quadrantem horæ durat , atque  
 ut plurimum dormientibus saltem & vel crapula vel ali-  
 mentorum copia oneratis accidere solet ; unde malo hoc  
 infestati si aut sua sponte exergefiunt , aut ab aliis exci-  
 tantur, mox ad se redeunt, nullamq; amplius sentiunt an-  
 gustiam vel difficultatem. Quod si & vigilantibus acci-  
 dat, aut frequentius cum subsecente post excitationem  
 sudore frigido & tremore cordis repetat, Epilepsiae vel syn-  
 copies lethalis prodromus à Catarrho suffocativo prorsus  
 discrepans habetur, vix Incubi nomine indigitandus. Il-  
 lam vero spirandi difficultatem, qua malo hypochondria-  
 co vel passione hysterica cum strangulatione , hydrope  
 item, tympanite &c. laborantes nonnunquam afficiuntur,  
 à Catarrho suffocativo haud paucis tum antecedentibus  
 & concomitantibus, tum propriis morborum istorum si-  
 gnis, quorum catalogum recensere hujus loci non est, di-  
 gnoscere

gnoscere licet. Apoplexiā porro a nostra Catarrhi spe-  
cie (præter alia signa non semper & in omnibus morbo illo  
correptis occurrentia) clarissime discriminat vel sola men-  
tis motuumque voluntariorum integritas utcunque in  
hac permanens, in ista vero tantum non penitus aboli-  
ta, salvis tantum vitalibus quibusdam actionibus. Et  
sane mirum alicui videri posset, quod bini hi morbi in  
**Observationibus** præstantissimorum quoq; Medicorum  
plerumq; confusi legantur, manifeste licet discrepantes;  
Verum hujus rei causam quærenſ nullam forte aliam re-  
periet, opinor, quam simillimum & repentinum quandoq;  
utriusq; affectus eventum. Quod si enim æger eo ipso  
momento, quo tali morbo corripitur, mox etiam extin-  
guitur, neq; ad aliquot horas minimum vitam protrahit,  
vix ac ne vix quidem certo cognosci poterit, an defectus  
respirationis, an vero impeditus principii moventis in ge-  
nus nervosum influxus tam repentinæ mortis causa fue-  
rit, quippe quæ non nisi post festum, accedente demum  
cultri Anatomici decisione haud usq; adeo certa, in lucem  
protrahitur. Tandem & a Syncope Cardiaca diæta sepa-  
rari omnino debet Catarrhus Suffocans, quamvis sint e re-  
centioribus, qui speciem hujus faciant. Differentiam au-  
tem nobis monstrant symptomata illa in Syncope Cardia-  
ca æque ac in aliis animi deliquiis observari solita, quo-  
rum palmarium in sensus ac motus privatione cum pulsus  
laſione gravissima consistit.

## VII.

Jam vero ad morbi plenam magis & exquisitam cogni-  
tionem non sufficit nosse præcise tales esse, nec aliud; sed  
requiritur insuper, ut modus fiendi & generationis ordo  
innotescat. Nisi enim de his Medico probe constiterit, sa-  
ne curationem ægri non magis caute ac perite tentabit,  
quam forte alias horologii cujusdam correctionem, cuius  
ipse

ipse fabricam & rationem, ob quam depravatum est, plane ignorat, vitium interim ex effectu clarissime deprehendens. Cum igitur ad propositi affectus generationem variæ causæ partim remotius partim proprius concurrant, illas jam porro utpote ordine ac tempore priores recensebimus e triplici classe rerum naturalium, nonnaturalium & præternaturalium petendas. E naturalibus quidem & nonnaturalibus pertinent huc omnes ad generationem morborum humoralium, speciatim a cacockymia serosa & phlegmatica obortorum, communiter à Medicis adduci solitæ : v. g. (1) Temperamentum humidum, non tam in plethora laudabili, quam serosa abundantia ad cacockymiam jam inclinante consistens. (2) Mollior inde prognata partium, cum primis organorum negotio respirationis dicatorum, ut & cerebri glandularumque strutura. Cum quibus (3) conspirat Ætas vel infantilis aut puerilis adhuc, si delicata præsertim ac molli educatio concurrerit; vel a virili ad senilem vergens & in caloris vigorisq; gradu magis magisq; remittens. (4) Clima frigore ac multis evaporationibus humidis aërem nebulosum ac impurum reddentibus horridum; Tempestas inconstans tempore in primis verno & autumnali frequen-tissima: quamvis & immodice calidum aërem, longioremque sub sole aut hypocaustis fervidioribus moram non excludi posse experientia monstrat. (5) Errores circa alimentorum usum multifarios symbolum suum hic conferre, nullum est dubium; Certe Veteres gulæ culpa Catarrhum obortum esse crediderunt, teste *Liberato de Liberatis Podagr. Polit. l. 2. c. 2.* ita ut nec Homeri tempore, sed demum ætate Socratis innotuerit Catarrhus, postquam gulæ blandimenta fuere reperta. (6) Varia naturæ instituto Excernenda vel plane suppressa, vel longiorem minimum moram ne tentia; quin & pro speciali subjecti tem-pera-

peramento Idiosyncrasia Medicis dicto, aliarumq; circumstantiarum diversitate excretiones nimis au&tas morbi hujus productioni favere compertum est. Imo vitiosorum quoque recrementorum excretiones p. n. licet & in se morbosæ, in certis tamen subjectis criticæ quandoque & familiares (cujusmodi sunt Crusta laetitia, Achores & Favi) si defecerint, ansam Catarrho nostro dare possunt: quale quid *Fabritius Hildan. cent. 3. obs. 10.* de nobili quodam puerō, qui nunquam in infantia scabie laboraverat, per copiosiorēm defluxionem ad fauces & pectus derepente suffocato annotavit. Vita (7) sedentaria nimiaq; somni protractio accedente præsertim, uti non raro fieri solet, vietu pleniori, ad catarrhorum generationem suum quoque *πατέρων μερός* conferunt; E contrario & Motus corporis vehementior nec non inordinatum Pervigilium, quandoq; causarum remotarum numerum augere solent; hinc facile e memorata Relatione Medica colligitur, vehementiores illos succussus, quos laudatissimus Dux Lotharingiae equo *περιχυσθόμενοι* per vias asperas salebrosasq; vectus sustinuit, Catarrhum Suffocativum ipsi accelerasse. Cum excessivo motu (8) Animī commotiones vehementiores, quales sunt Ira, Terror, Gaudium subitaneum, Curæ graviore, &c. apprime conspirare, testatur rerum magistra Experientia: Ita utriusq; hujus causæ, corporis videlicet atq; animi commotionis nimiae, efficaciam in producendo tali Catarrho confirmat quoq; *Casus a Tim. a Guldenklee l. 1. n. 19.* descriptus. (9) Purgantia deniq; fortiora Catarrhi Suffocativi generationem multum promovere posse, ex *obseru.* 58. *D. Riedlini* constat.

## VIII.

Sed pergitus ad præternaturales affectus propositi causas remotas, quarum nonnullas saltem specialiores recensuisse sufficiat, quando singulas ex immensa Obser-

vationum hinc inde prostantium farragine uberius indagare non vacat. E morbis itaq; potissimum huc pertinent Catarrhi etiam absq; suffocationis periculo frequentius infestantes, cumprimis in curatione negligenter perpetramve tractati: neq; solum viscidos, frigidos vulgo dictos, & crassos, sed & tenues, calidos, acres atq; aquosos in Catarrhum Suffocativum tandem degenerare posse, patet e *Forest. l. 10. Obs. 130. Greg. Horst. Epist. Medic. Sect. 15. Ephemer Nat. Cur. Dec. 11. A. IV. Obs. 46.* Referri quoque huc debent morbi humorales ab externis membris ad interiora recurrentes: ita v. g. dum Arthritidis palindromiam inter alios internos morbos etiam Dyspnoëam procreasse legimus in cit. *Ephemer. Ann. VI. Obs. 42.* quin ea Catarrho Suffocativo interdum ansam dare queat, vix dubitare licet. Quod Raucedinem, præsertim in senibus, tandem insequatur Suffocatio Catarrhalis, testatur non solum observatio D. Riedlini p. a. allegata, verum etiam jam tum Hipp. id indicavit, raucedines & coryzas in senibus excoqui negans, 2. aphor. 40. & catarrhos οὐρανίωσ διπλάντας illis tribuens, 3. aph. 12. Spestant huc quoque causæ violentæ rarius quidem occurrentes, qualem exhibet D. Adamus a Lebenwald *Ephemer. Ann. III. Obs. 71.* de Illustri Domieella ex colli metu strumæ ligatione arctiori in Catarrhum Suffocativum vix non lethalem incidente: & si quæ aliæ adhuc in hunc censem referendæ.

## IX.

Enumeratis ita causis procatarcticis, proprius ad morbi genesin accedimus, ostensuri, qua ratione difficultas respirandi cum suffocationis periculo conjuncta e multiplici illarum concursu (siquidem unica saltem ad lignendum tam atrocem affectum vix ac ne vix quidem sufficit) obrori queat. At vero cum ex haec tenus dictis & vel ipso titulo Dissertationis nostræ satis constet, compositum esse, quem tractandum, suscepimus, morbum, ita ut suffocatio immi-

imminens Catarrhi productum sit ac symptoma urgentissimum: hinc, priusquam productum hoc ulterius excutiamus, Catarrhi causam internam succinete (pleniorem enim & magis generalem Catarrorum disquisitionem aliis relinquimus) determinabimus, fundamenti loco illud supponentes, in quo tantum non omnes, præsertim recentiores Medici ipsis affectus phænomenis induiti, conveniunt, videlicet, Catarrhum quemcunque ex Lymphæ sive limpidioris in M. S. substantiæ læsa separatione ac violento in organa respirationi dicata decubitu proficisci.

## X.

Equidem nunc operæ pretium videretur, præsertim si recepto mori inhærere vellemus, ex physiologicis quædam de Lymphæ natura, crasi, modo separationis, motu item refluco per vasa lymphatica hic repetere; Enimverò, quando non solum ob temporis penuriam & valetudinis his ipsis diebus majorem inconstantiam hæc uberius tractare non licet: sed etiam a Celeberrimis Physiologis, *Bohnio, Wedelio, Brunnero, Schelhammero &c.* status lymphæ naturalis egregie jam tum descriptus est, nolumus aliorum scrinia compilando crambem bis coetam apponere, allegantes potius lectorum curiosum ad modo laudatos Auctores, cumprimis ad *Excell. D. Zelleri, Fautoris nostri honoratissimi* de vasorum lymphaticorum administratione Dissertationem, qua totum Lymphificationis negotium, *enīus* *āmō*, solide ac perspicue exposuit. Atq; ita misso statu lymphæ naturali ad præternaturalem tanquam causam proximam Catarrorum nos accingimus. Vitiatur liquidum illud lymphaticum variis modis, dum vel quantitate excedente aut deficiente, qualitate aliena, v. g. visciditate, tenuitate aquosa, falsedine, acrimonia, aciditate, vappescentia, putredinali corruptione &c. peccans excrementitiam, interdum quoque malignam induit natu-

ram; vel etiam quando motu secretorio in glandulis, aut ex iis nec non vasculis suis aberratione inq; aliena & insuetata loca depositione delinquit. Quæ Lymphæ vitia coniunctim magis quam separatim accipienda esse, intricata saepe graviorum Catarrhorum exigit indoles. Interim non excludendæ veniunt aliæ causæ internæ, quales sunt spirituum animalium languor ac defectus, Massæq; sanguineæ impuritas & motus depravatus, quæ cum lymphæ vitiis concurrentes tum glandulis lymphæ fontibus partibusq; mandantibus, tum aliis laticem illum corruptum aberrantem ac influentem excipientibus Atoniam inducunt. Quemadmodum enim jugis ac determinatus fluidorum, Spirituum puta animalium, Sanguinis Lymphæq; impulsus & agitatio corpori humano non solum vitam motumq; largitur; (partes quippe solidæ exactissime licet conformatæ, omni tamen fluidorum illorum energia destitutæ non magis ad actiones obeundas aptæ forent, ac alia instrumenta mechanica machinæq; artificiales, queis nulla vis movens applicatur) sed & speciatim organa fibris ac filamentis nerveis praedita, qualia deprehenduntur musculi, glandulæ, membranæ nec non viscera ex his composita &c. in certo tensionis sive plenitudinis gradu, Tonus Partium hodie dicto, detinet, cuius interventu functiones omnes mirum quantum facilitantur: ita e contrario Atonia, h. e. laxitas dictorum organorum, languor & movendi impotentia depravatum vel deficiente fluidorum illorum impulsu non potest non sequi; unde & in Catarrhorum genesi talem Atoniam non ultimum locum mereri nobis videtur.

## XI.

Cæterum de his causis internis probe notandum, quod sicut in generatione Catarrhi pectoralis considerari debent cœu mediatæ antecedentes & ægryspuræ extra pectus & organa

gana respiratoria; utpote ægri haud raro de passione hypochondriaca, cachexia, ventriculi imbecilitate, dolore capitis, vertigine, lassitudine membrorum &c. conque runtur: ita quando una earum vel plures simul funt proximæ, non necesse est, ut sedem semper figant in ipsa pulmonum substantia; etsi in quibusdam casibus id contingere Observationes apud Bonettum & alios testantur: sed sufficit interdum, si alias tantum partes pneumaticas, v.g. tracheam, diaphragma, musculos intercostales &c. occupent, ut respiratio difficilior inde reddatur.

## XII.

Obiter hinc attingenda quoq; nobis occurrit quæstio illa multum hactenus agitata, nondum tamen penitus decisa: Num videt. Catarrhis materia peccans suppeditetur a cerebro tanquam parte mandante? an vero nulli prorsus Catarrhi a capite ad partes subjacentes depluant? Affirmativam prioris tenuisse Veteres, præsertim Hippocratem, notum est; sed debita humorum vasorumq; notitia destituti in distincta hujus rei ætiologia tradenda utiq; hallucinabantur: unde & ex recentioribus *Helmont. Schneiderus. Lowanus.* aliiq; hanc veterum sententiam sat operose perstrinxerunt: quorum rationibus examinandis jam haud multum immorabimur, quin potius in decisione hujus quæstionis partium situ & connexione inducti media incedemus via, statuendo, Catarrhos non semper quidem, nonnunquam tamen cerebrum agnoscere fontem, ut nullæ viæ patentes ad nares & palatum occurrant, per quas immediate ex isto ad pulmones derivari queant. Nimirum, cum glandulæ primaria separandæ lymphæ organa existant, uti ex Physiologicis supponitur, cerebrum vero infinitum illarum numerum, testante autopsia, complectatur: contingere omnino potest, ut sanguis copiosius aut validius in cerebrum irruens majorem quoq; lymphæ copiam ope glandula-

dularum dimitat, quæ postea cerebri cavitates ac ventriculos replens dum continuo novi sanguinis impulsu ulterius urgetur, non potest non qua data via pergere, atq; vel in proximo venarum carotidum ac jugularium ramulos se se insinuando ad venam cavam & cor defluere; vel ex infundibulo ad glandulam pituitariam (de qua legi meretur Cl. Brunneri peculiaris *Exercitatio*) delabendo postmodum per vascula lymphatica ad sanguinem remeare: Quo ipso M. S. justo aquosior reddita & e cordis dextro ventriculo in vicinos pulmonum lobos delata facile horum meatus porulosve serosa colluvie inundare, atq; sic Catarrhum plus minus vehementem producere poterit.

## XIII.

Jam porro modum, quo procatarrhicas *supra* §. VIII. enumeratae causæ internas Catarrhi gignant aut in actum deducant, paucis expendemus. Omnes nempe, quotquot earum notavimus, vel etiam notari adhuc poterunt, eatenus symbolum suum huc conferunt, ut vel materialiter chylum, sanguinem lymphamq; augeant aut corrumpant; vel formaliter magis fluidorum horum motum, sive per se sive per accidens, turbent ac sufflament; plerumq; vero utroq; modo, pluribus scil. simul concurrentibus, vim suam atq; efficaciam exferant. Quod ut clarius pateat, ad singulas causarum externalium species applicabimus. Temperamentum humidum, mollior partium structura, ætas tum infantilis, tum senilis, sicut in fluidorum dyscrasia & inde resultante fibrarum atonia unice fundantur, ita eorum modus operandi vel ex internalium causarum, quo merito referri possent, expositione jam tum liquet. De alimentis quantitate & qualitate peccantibus res palam est, quod anomalum chylum sanguinemque producendo Catarrhis materiam amplissimam suppeditare valeant, juxta tritissimum illud in foro Medico: qualis chylus, talis sanguis & lympha.

lympha. Excernenda naturalia p.n. retenta, v.g. mensium,  
 hæmorrhoidū, urinæ suppressio, sputi item & muci narium  
 retentio fomitem Catarrhi constituunt, dum per ~~arapponū~~  
 sive palindromiam ob constricta aut compressa p.n. organa  
 excretoria multæ serosæ portiones ad sanguinem regurgi-  
 tantes una cum eodem ad partes pneumaticas transmit-  
 tuntur ibidemq; deponuntur. Simili modo concurrunt  
 præcedentes morbi humorales a serosa colluvie oborti,  
 e quorum neglecta curatione aut incauto remediorum re-  
 repellentium usū materia lymphatica jam ante peccans re-  
 fluo sanguini iterum commiscetur : ita scabies humi-  
 da aut ulcera sordida extremarum partium præpropere re-  
 pressa & consolidata haud raro Catarrhos cum dyspnœa  
 gravissima junctos inferre solent. Reliquæ causæ procatar-  
 eticæ, quarum d. I. mentio facta, formaliter sive virtualiter  
 operantur : atque inter eas primum facile locum obtinet  
 Aér, qui partim ob frigoris intensiorem gradum poros ac  
 fibras ad constrictionem irritando venarumq; extimarum  
 diametros ac cavitates minuendo sanguinis cum lympha  
 refluxum impedit, sicq; fluida hæc, dum ab embolo cordis  
 ultra urgentur, eo usq; turgida reddent vasā interna, donec  
 vel poris dilatatis vel alio modo exitum inveniant : par-  
 tim ob excessivum calorem laxatis poris majorem humo-  
 rum effluxum concitando intestinumq; horum motum au-  
 gendo copiosiori lymphæ in organis respiratoriis secessui  
 occasionem præbet. Nec minus Aér nubilosus, crassus,  
 variis heterogeneis effluviis inquinatus, dum inspirando in  
 pulmones descendit, glandulas tunicarum tracheam &  
 pulmones succingentium ad p.n. lymphæ secretionem aut  
 excretionem stimulare potest. Eadem quoq; ratio obti-  
 net in anni temporibus, quippe quæ non nisi intercedente  
 aëris diversa mutatione in corpore humano effectus suos  
 edunt. Motus porro affectuumq; animi vehementia sicut

humo-

humorum ac spirituum majorem affluxum concitat, ita & violentum lymphæ decubitum eo magis in partibus pneumaticis producere apta est, quo celerius illæ in omni valido modu agitantur. E contrario dum in quiete nimia fluidorum motus ad extremos artus retardatur, tanto facilius in visceribus stagnatio quædam fiat, Catarrhoq; janua aperietur.

## XIV.

Evoluta sic Catarrhi pectoralis genesi, ad Suffocationem ipsi supervenientem nobis est progrediendum. Consistit hæc in respirationis læsione gravissima, ita ut interdum vix ulla inspirationis indicia, præsertim si tuulis abfuerit, obseruentur. Quæritur nunc, qua ratione talis læsio a Catarrho inferatur? Pro determinanda hac quæstione ex physiologicis de negotio respirationis naturaliter se habente pauca quædam ad scopum nostrum quam proxime facientia (integralm enim actionem hanc ab suis principiis repetere singulasq; ejus causas excutere nec hujus loci nec instituti nostri est) supponenda veniunt. Nimirum ad actum respirationis, inspiratorium cum primis, rite peragendum, primario requiritur, ut aër propria gravitate per patula oris nariuniq; foramina in tracheam & vesiculares bronchiorum ramifications libere irruat, atque elatere suo totam pulmonum compagem, ampliato præsertim a musculis intercostalibus thorace, expandat; qua expansione sanguini e corde propulso pulmonum substantiam undiq; perreptandi, ibidemq; in glandulis lympham dimitendi copia datur. Quodsi vero vesicularum bronchialium expansio impediatur, non solum nulla perfecta exspiratio sequitur, verum etiam sanguis ob viam per pulmones interclusam versus dextrum cordis ventriculum stagnabit, hujusq; cavitatem & fibras motrices (uti probabiliter satis conjetat A. de Leeuwenhoeck in Epist. de Ranar. gener. &c. p. m. 78.) ultra solitum extendere poterit, ita ut post-

postmodo ad systolem & contractionem ineptæ evadentes repentinum nonnunquam vitæ finem imponant. His suppositis haud difficulter, opinor, jam patebit modus, quo Catarrhus ingravescens suffocationis periculum tandem inferre queat. Quando enim lympha vel visciditatem p. n. contrahit, vel in majori copia gignitur, ut ad pulmonum quoq; substantiam largius redundans vesiculas bronchiales comprimat aut oppleat, (dari enim poros lympham a sanguine in vesiculas hasce transmittentes, instituta liquoris injectio evincere videtur:) aëris libera insinuatio amplius fieri nequit, sicq; lobi pulmonum collapsi permanentes suo non tantum inspirationis & exspiracionis officio (adjuvante interdum glandularum tum in aspera arteria, tum huic vicinarum v. g. tonsillarum, thymi &c. intumescentia) defraudantur, sed etiam sanguinis semel cœpta per eosdem circulatio necessario infringitur tandemq; penitus aboletur. Et hæc omnia eo magis contingent, quo aliarum causarum externarum vehementia, e. g. nimia corporis concussio a motu celeriori, equitatione, cursu, longior item in aëre frigido & pluvioso mora, aut corpus ob ætatem teneriorem & senilem vel morbos prægressos debilitatum &c. præsto fuerit.

## XV.

Paradoxa forte multis videbitur hæc nostra Catarrhi suffocativi aetiologya, vel ob hanc rationem, quod plurimi ex recentioribus Medicis aliam longe proferant, non tam ex infarto lymphaticæ materiæ & organorum pneumaticorum atonia, quam sanguinis ipsius intra vas a pulmonary coagulatione ac stasi affectum istum deducentes; unde etiam *Doleus Apoplexiam Pulmonarem* vocare non dubitavit. At enim vero licet nolimus ire inficias, suffocationem quandoq; ex tali causa contingere posse, præsertim ubi Plethorae signa adfuerint: haud raro tamen produci potius quam producentis locum obtinere dictam sanguini-

nis coagulationem, in cacoehymicis præcipue subjectis  
vitioq; catarrhali frequenter infestatis, & Experientia &  
Ratio omnino suadent. Cum enim sectiones Catarrho  
suffocativo defunctorum (h. e. eorum, quos ante suffoca-  
tionem Catarrho laborasse per certa signa compertum est)  
non solum copiosam in organis respiratoriis hærentem  
materiam detexerunt, uti præter *Bonettum in Sepulchr. Luc.*  
*Tozzi* insignis Medicus in *Medic. Practic. Part. I. p. m. 276.* an-  
notavit; verum etiam Asthmate humido (quod ipsum si  
ingravescendo suffocationis periculum infert, revera Ca-  
tarrhum suffocativum constituit) correptos notabilem pi-  
tuitæ plus minus viscidæ quantitatem ope remediorum  
expectorantium excernere observeimus: sane cur hæc ipsa  
materia coacervata majorem dyscrasiam adepta suffoca-  
tionem cum subsequente, non prævia sanguinis in vasis  
pnevmonicis congelatione modo *s. anteced.* exposito in-  
ferre nequeat, nondum videmus. Experimentum vero  
*b. Ettmüller* quod concernit, quando Sp. Sulphuris in venam  
canis injectum Catarrhum suffocativum produxisse refert,  
id non omne nobis exaurire videtur negotium: quam-  
vis enim dereum interierit canis, non tamen sequitur,  
ergo suffocatione. Posito etiam suffocatione interiisse ca-  
nem, num ideo Catarrhus suffocatus dici poterit? Ut  
taceamus liquores alcalinos v. g. Oleum Tartari p. d. &c.  
venis injectos simili pene modo animalia interimere, atq;  
ita non solam coagulativam aciditatem accusari posse. Di-  
stinguere itaq; omnino licebit Catarrhum suffocantem a  
suffocatione ex stagnatione sanguinis primario produci  
solita, quam nulla catharrhalis dyscrasiæ signa vel antece-  
dunt vel comitantur quemadmodum etiam *Jonstonus*, *Bo-*  
*nnettus* aliqui; sigillatim eam proposuerunt.

## XVI.

Sicut vero affectus nostri symptomata primarium ac val-  
de urgens respirationem nempe difficillimam & *mu*  
*yawd* ad  
cau-

causas suas deduximus, ita cætera pariter. *V*. recensita symptomata ex iisdem dilucidare conabimur. Id enim cum rite præstiterimus, indicio erit, ætiologiam morbi si non exactam certitudinem, suam minimum admittere probabilitatem. Pleraque igitur symptomata ex ipsa spirandi difficultate originem trahere, vix dubitabit, qui mutuum respirationis cum aliis functionibus commercium attente considerat. Ita cum deglutitio rimulæ laryngis per epiglottidem clausionem illapsum assumtorum præcaventem postulet; hæc ipsa vero ob imminentem ex aëre inclusa suffocationem in affectu nostro locum habere nequeat: mirum non est, deglutiendi adesse impotentiam. Nec minus liberum aëris itum ac redditum loquela requirit, hinc illo impedito utique hæc etiam difficilior reddatur oportet. Alvi excretio cum ordinarie longiorem solito spiritus retentionem postulat, ut non solum Diaphragma subjacentia viscera eo magis comprimat, sed etiam musculi abdominis cæteriq; ad excretionis actum necessarii fortiorum fluidorum moventium impulsu recipient: mirum sane non est, inspiratione in Catarrho suff. tantum non plenitus cessante, excretionem quoque alvi quodammodo impediri. Præ cæteris autem Præcordiorum anxietas dispnœæ illius gravissimæ individuus erit comes, dum partim sanguis ob impedita per pulmones circulationem cordis ventriculum modo supra dicto afficit; partim aér pectori abdominiq; incumbens vascula sanguifera valide comprimendo, sanguinis motum jam ante languidum sufflaminat, quo minus ille pulmones debito modo ingredi, eorumq; lobos expandendo corpus ad æquilibrium (cujus quidem gratia summam illam respirandi necessitatem nobis imponi nervosa Dissertatione ostendit *Excell. Dn. Prof. Sturmius*, Præceptor noster ætatem colendissimus) reducere valet. Quæ Mantis motuumq; voluntariorum adhuc observatur integritas, ex eo est, quod causa morbifica organa respiratoria potissimum afficiat, salvis cerebri functionibus, cæterisq; ad motoris animalis impulsu necessariis instrumentis. Stertorem vero ac sonitum pectoris exinde deducere licebit, quod materia illa lymphatica viscosa in bronchiis aut trachea hærens ab aëre ingressum & expansionem moliente plus minus concutiat. Tussis abesse vel adesse poterit, prout lympha vel insipida vel multis spiculis Θinis inquinata stimulationem in fibris excitare apta est. De Pulsus varietate causa in promptu est, cum turbato per pulmones sanguinis circulo pulsus quoque mutari necesse est. Urina denique variat, quando Catarrhus suffoc. moram necit, ut successive varii generis particulæ Θino-

Tereæ una cum sero in renibus secretæ colorem & contenta immutent. Reliqua symptomata Catarrho simplici propria huc non spectant.

## XVII.

Restat nunc, ut paucis ostendamus, qualem Catarrhus suffocatus eventum fortifiatur. De hoc sane Medico constare debet, ne temere ac cum nominis infamia medelam tentet in casu plane desperato. Facile autem ex supra dictis innotescit, quodnam Prognosticon in affectu hoc gravissimo dari queat, nimurum hoc, quod eventus sit valde dubius, & frequentius quidem lethalis quam salutaris exspectandus. Cujus præfigii ratio fundatur in causæ proximæ, scil. vitiatae lymphæ in partibus pneumaticis decubitu vehementiori, spirituum & sanguinis motibus remoram injiciente, & ob summam respirandi deglutiendiq; impotentiam internis remediis nullum vel certe difficilimum & insufficientem locum concedente.

## XVIII.

Delineata sic, quantum per temporis angustiam aliaq; impedimenta licuit, Catarrhi suffocativi indole, in curationem ejus animum mentemq; nunc convertemus. Rarissime enim ægros etiam periculosissime decumbentes prognosticis relinquat Medicus, quia (ut verbis b. D. Ettmüller utar) nunquam omnia adeo manifesta esse possunt, ob specialem unius cuiusq; individui idiosyncrasiam, quin interdum hujus ratione miracula in Medicina fieri videantur, & ii qui conclamati putantur, præter spem convalescunt. Dum vero ex præscripto Methodi Medendi certas indicationes formare conamur, ea ipsa causæ proximæ vehementia nobis indicat, curationem minime adhiberi posse juxta ordinarias Methodi leges, respiciendo ad materiam morbificam fluxuram, fluentem & fluxam; Quin potius, cum periculum in mora, extraordinariam applicemus oportet Methodum symptomatibus urgentibus vitæq; summum discrimen adducentibus removendis aut mitigandis destinatam. Atque secundum hujus præcepta indicatio curatoria prima in nostro affectu existit causæ proximæ respirationem cum deglutitione abolentis præsentanea remotio. Verum hoc opus, hic labor est. Modernorum Practicorum pleriq; vestigiis Veterum hac in parte insistentes ad liberiorem motum sanguini conciliandum Venæsectionem absq; omni mora adhibendam suadent atque commendant: unde & Duci Lotharingiæ gl. m. bina vice & quidein sat larga quantitate sanguis vena secta eductus fuit. At enim vero salva contra sentientium omnium auctoritate remedium hoc minime indicari (a celeberrimis hujus Academiæ Medicis, Præce-

ptoribus meis pie venerandis ita edocet intrepide statuo. Rationes sententiae nostrae sequentes damus: (1) Ostensum est supra, in Catarrho suffocativo non primario MSeam copia aut motu peccare, sed laesam potius Lymphæ separationem gravioremq; in organa pneumatica decubitum: Ut ita frequentissima VSnis commendatio saltem ex confusione suffocationis cum Catarrho suffocativo & Plethorae veræ cum Cacochymia originem traxisse videatur. (2) Quo plus sanguinis corpori cacochymico subtraxeris, eo magis laeseris, & imminuto vigore interitum ejus acceleraveris, cordatiорibus plerisq; Medicis id ipsum non diffitentibus.

## XIX.

Alius itaq; huic nodo quærendus est cuneus, quem forte inter remedia Pharmaceutica reperiemus indicationis formatæ ductum sequendo. Nimimum in discutienda materia illa lymphatica plus minus viscida utramq; paginam facere poterunt, si curationis adhuc spes affulserit, medicamenta sic dicta volatilia falina & oleosa temperatoria, aliaq; incidentia & nervina fibrarum tonum roborantia, quæ in pauca dosi multum præstare toto die observantur. Eminent inter ea Ω C. C. (quem in ætate puerili & lymphatica dyscasia ob αδδηφαγίας sæpius profuisse novimus) liqu. C. C. succinatus, Ω Θ \* i anisat. succinat. aut lavendulatus, Ω Θ \* c i cum gumm. ammoniaco paratus, Ω cochlear. per se e recentibus fol. absq; prævia maceratione destill. Aquæ asthmaticæ variæ, Ω asthm. D. Michaëlis ex ①, sulph. gumm. ammon. confectus; Essent. succini, sassafr. cum Ω Θ \* i anisat. mixta; Elixir pectorale, Essent. Castorei & plura alia in Practicorum celebriorum scriptis notata. Possunt ac debent vel per se vel invicem mixta in tali dosi & vehiculo propinari, prout ætas, individuorum diversæ conditiones, & aliæ circumstantiæ postulabunt: unde & formularum magistralium compositioni omnino supersedemus. Inter simpliciora absq; singulari artificio parata medicamenta referuntur sperma ceti in ætate tenuiori à 3ß. á. 3ß. & ultra invehiculo calido exhibitum, cui Sacharum candum addi nonnunquam potest. Oxymel Scylliticum ut & Looh de Scylla admodum in hoc casu profuisse observationes testantur; quemadmodum & Θ \* depuratum, nec non Gumi ammon. in substantia datum. Nobilem quendam Virum fumto Croci oriental. 3j. cum duobus cochlearibus vini Malvatici subito e suffocativo catarrho liberatum notavit Remb. Dodonæus Observ. med. c. 20. p. m. 47. Si lympha acredine aut falsoidine glandulas fibrasq; nimium stimulaverit, commode dictis remedius Anodynæ Opiata,

admisceri possunt, debita tamen cum cautela, præsertim in infantibus puerisque. Pulveres, species, aliave in forma sicca remedia minus censentur, cum facile faucibus adhærent, tardiusq; actuentur. Vomitorii usum valdè utilem in nostro affectu judicamus, modo suffocationis periculum non nimis urgeat; hoc præsente, vomitoriis plane abstinendum est. Securiora igitur habentur Enemata vel Clysteres, præsertim si alvus ante paroxysmum non exonerata fuerit: quales in Apoplexia & Paralyticis affectibus commendantur. Topica varia quidem a Medicis laudata reperiuntur; singularem tamen ab iis effectum vix exspectare licet. Certe Emplastrum magnis alias ornata elogijs, quale est de Meliloto à Grülingio adhibitum, & Diasulphuris Rulandi &c. thoraci imposita longiori indigent mora, antequam eorum virtus ad pulmonis interiora penetrare queant. Eodem modo cum Vnguentis pectoralibus & Oleis est comparatum: nihilominus, ne Medici fiducia apud ægros vacillet, talia aliquando in usum vocari possunt. Majorem vero utilitatem præstabunt Frictiones colli, brachiorum, scapularum, a Cratone in Consiliis commendatae; Vesicatoria item supra coronalem suturam applicata. Ægris forte debilitatem in capite & defluxionem quandam sentientibus non inutilia censemus oleum vel balsam. succini ad verticem illitum; sacculum e succin. cum Spiritu Vini inspersum, vel ol. nuc. mosch. temporibus inunctum &c.

## X X.

Spe majori salutis post hactenus adductorum remediorum usum affulgente, necesse fuerit, ut curatio continuetur ex ordinariæ M. M. legibus per remedia evacuantia & alterantia, v. g. Venæ sectionem, cucurbitulas, hirudines, medicamina  $\ddot{\alpha} \nu \omega \dot{\chi} \kappa \acute{\alpha} \tau \omega$  leniter eduentia, diuretica, diaphoretica, incidentia, deoblituentia, tonum partium roborantia, e Catarrhi, Asthmatis aliorumq; morborum ex serosa colluvie proficiscentium curatione petenda; quorum delectum prudentia Medica varia individuorum causarumq; attributa singularia considerans procul dubio indicabit. In Diætæ regimine sive congruo rerum n. n. usu eæ potissimum res attendæ veniunt, quas ad Catarrhi suffocativi generationem multum contulisse morbi cognitio docuit: Cum primis aëris injuria, victus ineptus & vitiosus, corporis animiq; vehementiores commotiones omni studio evitentur. T A N T U M.

*Fortasse vera sunt, quæ attulimus; fortasse non ita, ut veriora  
aliis invenire nequeat. Gal. I. 2. de sem. c. ult.*